Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Lectionarius de tempore, sectio partis hiemalis - Cod. Aug. perg. 14

[S.l.], [9. Jh.]

Beda Venerabilis presbiter: Homilie zu der Evangelienlesung

urn:nbn:de:bsz:31-20216

Visual Library

enim. qui consolatur flentem dolenter
curat. penitenter informat. detestare
peccata. si officia penitentis inuadis. aut
si peccare delectat. quaere penitentiam quam
professeris infamat; contumaciae cri
men est quod oderis facere. quod damna
ueris uelle. quod horrueris exercere.
amare probatur. qui quod odit exer
cet. et odisse uicissim. quod se amare
mentitur; Neque enim poterit excusari.
cuius uerba aliud sonant. et aliud
facta demonstrant; doleat
peccator. aliud se esse quam fue
rat. lauet lacrimis. quod delictis
infecit; curet fletibus. quod peccando
uitiauit; gemitibus purget. quod con
temnendo commisit; si penitet corrige.
si dolet quiesce. curet penitendo quod
fecit. ut possit recipere quod amisit;

[illegible] V. in xl ma. [illegible] dict.

LECTIO SCI EUANGELII SECUNDUM MATHEUM

IN illo tempore. secessit ihs in partes tyri
et sidonis. et ecce mulier chananea
a finibus illis egressa clamauit dicens
ei. miserere mei dne fili dauid.

OMELIA UENERABILIS BEDE PRES
BYTERI. DE EADEM LECTIONE.

IN lectione sci euangelii quae nobis
modo lecta est fratres karissimi audiuimus
magnae mulieris fidem. patientiae con
stantiam. et humilitatem; cuius eo
maius est admiranda mentis
admiratio. quo ipsa quidem ut pote genti
lis ad diuinorum eloquiorum fundi
tus fuerat sacratae doctrinis. nec ta
men illis quae eadem eloquia predicant
est priuata uirtutibus; habet
namque magnae fidei perfectionem.
quae pietatem saluatoris implorans
ait; miserere mei dne fili dauid; cum enim
eundem dnm quem filium dauid appellat.
patet profecto. quia uerum hunc homi
nem. uerum et credit dm; cum pro filia
rogans. non illam secum adducit.
nondum ad eam uenire precatur. con
stat aptissime. quod eum uerbo sa
lutem posse dare confidit. cuius prae
sentiam corporis nulla requirit;
Sed et in hoc quod eum post multas
lacrimas tandem prostrata adorat
dicens. dne adiuua me. nequaquam
se de eius diuina maiestate ambiguam
docet. cuius adorandam ita di dicit
esse potentiam; habet et patientiae uir
tutem non exiguam. quae dno
ad primam petitionem eius non respon
dente uerbum. neque sic a precibus
cessat. sed ampliori instantia auxilium
quod coeperat pietatis implorat;
respondere autem illi differt dns.
non quia misericors medicus mise
rorum preces despicit. de quo uera
cissime scriptum est.

Desiderium pauperum exaudivit dominus.
sed ut perseverentiam mulieris nobis
semper imitabilem demonstret; quae
quo magis contempta videbatur a domino.
eo ardentius coeptis perstabat in precibus;
Respondere differt. ut discipulorum
quoque suorum misericordes animos
redderet. qui quasi homines ad clamorem
mulieris publice eos persequentis eru
bescant; Sed ipse temperamentum
misericordiae suae noverat. qui omnia
in mensura et numero et pondere dispo
suit; Respondere distulit. ne daretur
occasio iudaeis calumniandi quod gentiles
eis in docendo vel sanando praetulerit.
Ideoque ipsi fidem eius suscipere iuste recu
saverint; et hoc est quod ait; non sum
missus nisi ad oves quae perierunt do
mus israhel. quia per se ipse solus doceret iu
daeos. qui et per suos discipulos etiam gentiles
ad fidei gratiam vocavit; De quibus dicit
alibi; Et alias oves habeo quae non sunt
ex hoc ovili. et illas oportet me adducere.
et vocem meam audient. et fiet unum ovile
et unus pastor; hinc est quod unicam
per se in corpore gentilem sanaturus
puellam. non hoc antequam probata
omnibus incomparabili matris fide per
fecit; habet eadem mater et iam constantiae
et humilitatis insigne praecipuum quae ca
nibus comparata a domino. Nec sic quidem ab in
stantia precandi desistit. ad sperando pietatis
munere matrem revocat; Sed susceptam libenter
amplexata contumeliam. non solum canibus
se similem non negat. sed et catellis se dispari
aequiparandam adiungit; prudentique
argumento domini quidem sententiam con
firmat nec a suae tamen petitionis inpro
bitate quiescit; confirmat namque sen
tentiam domini eum dicentis. Non est bonum
sumere panem filiorum et mittere ca
nibus. Respondit. etiam domine; Id est vera
citer ut asseris ita est. quia non est bonum
sumere sed et plebi israhel caelitus desti
natam dare eam gentibus; sed et cum
addit. Nam et catelli edunt de micis
quae cadunt de mensa dominorum suorum
prudentissime demonstrat. quantam
humilitatem. qualem intus gerat pec
toris conscientiam. quae indignam quidem
sit integris dominicae doctrinae qua iu
daei utebantur epulis refici. sed quan
tulacumque ei a domino foret impertita
gratia. hanc sibi ad salutem sufficere
posse putaverit; Unde recte a pio salva
tore qui preces illius non superbae de
dignatione. sed dispensatione provida
ad tempus distulit. audire meruit;
O mulier magna est fides tua. fiat tibi
sicut vis; magnam quippe satis habebat
fidem. quae nec prophetarum antiqua
nec recentia ipsius domini miracula pr

cepta uel promissa cognoscens. Insuper a dño
totiens contempta. perseuerat in precibus.
et quem famam tanta uulgante dixerat
saluatorem. rogando pulsare non omit
tit; propter quod et magnum suae postu
lationis consequitur effectum. cum
dño dicente. fiat tibi sicut uis. sanata
est filia eius ex illa hora; Merito autem
haec mulier. natura quidem gentilis.
sed corde constans et credula congrega
tae degentibus ecclesiae fidem. deuotione
que significat; quae expulsi de iudaea
praedicatores sci uerbo simul et misteriis
gratiae caelestis imbuerunt; Relega
mus namque superiorem sci euangelii
lectionem. et inueniemus quia uenien
tes ab hierusolimis scribae et pharisaei.
grauissimis dnm et discipulos eius perfidiae
suae pulsauerint tumultibus; quos ipse
mox digna inuectione coercitos reli
quit. et egressus inde. secessit in partes
tyri et sidonis; ubi manifeste praefigu
ratur. quod post passionem resur
rectionem que suam dns in praedicationibus
suis iudaeorum perfida corda relictu
rus. et in partes gentium ceterarum
esset secessurus; Tyrus quippe et sidon
quae ciuitates fuere gentilium munimenta
doctrinae acute gentilis. in quibus stul
ti confidunt indicant; Unde bene mulier
quae dnm credula precatur. a finibus illis egressa
perhibetur; quamuis pristinae conuersationis
habitacula uana reliquisset. ad xpm eccle
sia numquam ueniret; Nisi tantum antiqui dog
matis anathematizasset erroris. nequa
quam nouam fidei suscipere gratiam
nosset; filia daemoniosa pro qua postulat
anima quaelibet est in ecclesia. maligno
rum magis spirituum deceptionibus quam
conditoris sui mancipata praeceptis;
pro quane casta est ecclesia mater dnm solli
cita interpellat. ut quae ipsa foris monen
do obsecrando. increpando non ualet.
ille interius inspirando corrigat. atque
ab errorum tenebris conuersa. ad agni
tionem uerae lucis excitet; uerum si ad pri
mas rogantis ecclesiae lacrimas dns
respondere. idest postulatam errantibus
sospitatem mentis dare distulerit. ne
sic quidem a petendo. quaerendo. pul
sando desistendum est; Neque impetran
di subeunda desperatio. sed tanta potius per
seuerandum instantia. tam obstinato
frequentandus clamore saluator. tantum
etiam sanctorum eius intercessiones appetenda
suffragia. donec et ipsi de caelis dnm
paudienda supplicant ecclesiae;
sicque fit. ut si mentem ab intentione
proposita non mutauerit. nequaquam
fructu petitionis fraudetur. sed siue
pro sua fragilitate. quis seu pro aliis inter
uenerit. desiderato potiatur effectu;

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

nam & si qui in nostram conscientiam hab& aua
ritiae · electionis · uanę glorię · indigna
tionis · iracundię uel inuidię · c&erorū
ue uitiorum sorde pollutā · filiā profecto
hab& in ea a demonio uexatam ·
pro cuius sanatione suppl& ad dominum
currat; quia nimirum cogitationē
de corde progenitā diabolica tole
rat arte dementatam; cuius emenda
tionem a pio conditore · crebris immo
continuis debeat flagitare lamentis
ac precibus; Si qui bona quę gessit · for
te periurii · furti · blasphemię · d&racti
onis · rixę · uel &iam corporalis in
munditię · c&erorum ue huiusmodi
peste fedauit · filiam hab& inmun
di spiritus furiis agitatā; quia uidelic&
actionem quam bene laborando
ediderat · iam diaboli fraudibus ·
stulte seruiendo disperdidit; Ideoq;
necesse est talis ut statum suum cog
nouerit · mox ad preces lacrymasq;
confugiat · sanctorum creber intercessi
ones & auxilia quaerat · qui pro
animę eius salute Rogantes · domino
dicant; precamur domine miserator
& misericors · patiens & multae mi
serationis · dimitte eā quia clamat
post nos; dimittere autē · & donec
gratiā quia nostrū intimo affectu quę
rit pronus suffragiū; Necesse est ·
debita submissus humilitate · nostra se ouiū

israheliticarū · idest mundarū consortio dignū
iudic& animarū · sed potius cani comparan
dū & celestibus indignum arbitretur esse mu
neribus · nec tamē disperando a precandi qui
escat instantia · sed indubiamente · delar
gitoris summi bonitate confidat; quia qui de la
trone confessorē · de persecutore apostolum · de
publicano euangelistā · de lapidibus potuit
facere filios abrahę · ipse &iā canem inpu
dentissimum · conuertere israheliticā possit
in ouem; cui merito donatę castitatis ·
&iā uitę ęternę pascua largiatur · idē
peccatorē conuersū a uia sua mala · iustū fa
cere dign&ur · quem merito bonę actionis ·
ad regnum caeleste perducat; uidensq; dominus
tantū nostrę fidei ardorem · tam pertinacē
orandi perseuerantiā · tandem misere
bitur · & nobis quoq; sicut uolumus fieri
concedat; ut uidelic& expulsis uitiosarum tu
multib; cogitationū · dimissis peccatorū n&
ib; · & puram nobis serenitatem mentis · & perfectio
boni redintegratur operis; Notandū
interea quod haec orandi pertinacia · ita solum
merit esse fructifera · si quod ore precamur · hoc
&iā mente meditemur; Neq; alio clamor labiorum
quā cogitationū scindatur intuitu; sunt
enī qui intrantes ecclesiā · multis psalmodiā
uel orationē sermonibus
prolongant; Sed alibi corde intendendo ·
nec ipsi quid dicant recolunt; ore quidē
orantes · sed mentem foris uagantem ·